

Valet, Antoine. *Antonii Valeti Oratio in scholis medicorum ante licentiatum habita, qua medicinae antiquitas ex antiquissimo poëtarum Homero obiter et allegorice describitur. Huic accessit Jo. Aurati,... Elegia ad observandiss. patrem F. Jacobum Hugonem,... necnon aliquot ad medicos parisienses epigrammata*

*Parisiis : apud Ioannem de Bordeaux, 1570.
Cote : 72230x04*

4
A N T O N I I
VALETII ORATIO
IN SCHOLIS MEDICO-
RVM ANTE LICENTIA-
TVM HABITA.

*Quâ Medicinæ antiquitas ex antiquissimo
Poëtarum Homero obiter &
allegoricè describitur.*

Huic accessit I. O. AVRATI Poëtæ Regij Elegia
ad observandiss. Patrem, F. IACOBVM HVGO-
NEM, Doctorem Theolog. & Regium Eccle-
siastem: necnon aliquot ad Medicos Parisien-
ses Epigrammata.



PARISIIS,
Apud Ioannem de Bordeaux, in monte D. Hyla-
rij, ad insigne Occasionis.

1570.



U
M
O
Y
Z
A
V
U
T longinqua maris per alta vecli,
Optatas vbi iam videre terras
Coeperunt, vlulant ad astra laeti,
Imponuntque suæ rati coronas,
Lætæ pignora gratulationis:
Sic nunc sic ego penè iam peracto
Fluctus Hippocratis per & Galeni
Cursu, penè meum tenensque portum,
Hac læta tibi gratulor camœna,
Hanc festamque tibi dico coronam,
Pignus perpetui tui fauoris,
H V G O: qui mihi nauigatione
In tam difficili tria extitisti
Vnus, nauita, nauis atque naulum.
Ducens nauita, subuehensque nauis:
At naulum numerans tuo ipse sumptu
Vecturæ pretium, viaticumque.



OBSERVANDISSIMO

PATRI, F. IACOBO HYGONI,
DOCT. THEOLOG. CELEBR.

Regio Ecclesiæ verè pio & or-
thodoxo, Mecœnatiq̃ue bene-
ficentissimo, Anto.

Valetius S.



ETSI exploratum habeo, Mecœ-
nas optime, te ea animi equitate
& moderatione teneri, ut maxi-
mis tuis, ac penè immortalibus in
me meritis talionem rependi mi-
nime speres, vel optes, mēque hac natum esse con-
ditione, ut quamvis vitam pignori opposuerim, si
subductis rationibus tabulas conferre libeat, eadem
nequeam tantula ex parte remetiri: sceleris tamen
non levis, imò fermè nullo piaculo expiandi, insi-
mulandus viderer, si quod studium aut officium
meum in colenda pietate tua paterer desiderari. Et-
enim in rerum successu secūdiorē si Fortunæ occur-
sant litaturi homines, quid me nunc tandem post
meam in te expectationem non equatam modò,
sed etiam longè superatam facere putes oportere?

A y

Tuis Vnius auspiciis non fortuito mihi, sed planè diuinitus illapsis, in literis Vno, sine quibus viuere non potuissem Vnquam, nisi infelicissimè. Nam simulatque mihi cum Rhamnusia illa, quam ego semper iniquissimam tuli, luctam esse assiduam conspexisses, me tamen ita affectum esse, vt cum Philemone libris immori cuperè, & Musas meas alumnas esse tuas, & tuo Vnius patrocínio aduersus iratas fortunas suas cōsistere voluisti. Hæc natura tuæ probitas, hæc facilitas, hæc in hominem exterum, & multorum fastu abiectum humanitas tota, quantacunque est, quæ certè apud me maxima, tota est inquam tua: quæ adeo me tibi deuinxit, vt nulla liceat oratione consequi, quanti te faciam, quantum tibi debeam, quātum mihi omnem in partem enitendum cogitem, me gratum & memorem esse semper vt intelligas. Et quidē in mentem venit suspicari diuinam benignitatem mihi, Vlli quā alij, præclariùs illuxisse: quæ te priscae religionis, fideique decus, te Vnicū Christianæ charitatis exemplar, te Theologici ordinis amplissimum ornamentum, meorum sanxerit authorem, fauoremque studiorum: qui, copias alioqui exutus omnes, ea mirabilem in modum promoueris, foueris, ditaris. Quod vt imprimis tibi gloriosum, & mihi perhonorificum fore, ita auspiciatissimi laborum meorū exitus omen præ se tulisse certissimum

sum arbitratus. Atque utinam tuæ istius Euangelicæ pietatis tot haberemus æmulos, quot splendido Ecclesiasticæ professionis titulo insignitos viros. Extarent, opinor, Hugones tam multi, quàm sunt hac tempestate pauci: qui literas infelicitis huius sæculi virio iacentes, hominum desidia neglectas, à magnificis pollicitatoribus destitutas, casibus denique oppugnatas omnibus, turpi egestate concidere prohiberent. Neque tot tamq; præclara ingenia ad incertas redacta elanguescerent, collaberentur, torperent: sed suorum subiecta Mæcenatum fauoribus in altum assurgerent, & mirificos politiorum doctrinarum fructus procrearent. Sed quoruscumque est, qui literis, literatisque viris operam præstet oppido liberalem? Quot videas ex infinitis, qui cum veridico, & sacro calente numine Poëta in hanc candidissimam vocem prorumpant? Sic nostras partimur opes: pars optima templo: Altera fors inopi seruit: pars tertia nobis.

Paucos mehercule, paucos. Quinetiam eò veniunt impietatis male feriati homines nonnulli, quos tamen oporteret studiosis maximopere favere, si sui instituti rationem aliquam ducerent, ut iis non satis sit toto penitus supersedere officio, nisi quid in pios & probos, à quibus superari verecundantur indignissime, proterviter effutiant: ut de quodā audio tenebrione, qui vacors & exlex ne-

A iij

scio quid *δυο δέ α τω x δυο x ες* nuper insusurrabat: *αγρε* ferēs videlicet auitæ & Apostolicæ nitore integritatis in te omnibus è Theologis vno luculentiùs renidere. Mitto illius nomine paginā nostram profanare, deque opinionum peruersitate istiusmodi inquirere: ne vel intemeratum candorem tum offendam: vel me videar velle ab inuidia vindictā tuæ penitiùs gratiæ insinuare: quem iampridem in fidem atque amicitiam receptum tuam, si minùs studiosæ vitæ meæ gratia, tuæ saltem constantie causa, tanta ad amandum inductione prosequi perseueras. Ego verò vt grati hominēs personam obseruantia, studio, & assiduitate sustineam, en publice habitam Medicis in Scholis orationem, tibi, secundū Deum, bonorum meorum authori gratias nunquam intermoriturus significaturam euolare sino: vtinam dextris ad te auib. veniat. Qualiscūque est, etiamsi meum nondum iudicium potuerit promereri, tibi primario cultioris literaturæ viro si non omnino displiceat, mihi vtcunque satisfecerit. Interim Gregorij Palamæ Thessalonicēsis Archiepiscopi Prosopopœias sublimis plenas Theosophiæ, e Græcis à nobis Latinas iā propè factas expectabis. Bene vale Mecenās optime, & Musas nostras cōmendatas habe. Lutetiæ Parisiorum 4. nonas Iunias, Ann. 1570.



ANTO. VALETII ORA-
TIO IN SCHOLIS MEDICORVM
ANTE LICENTIATVM
HABITA.

*Quâ Medicinæ antiquitas ex antiquissimo
Poëtarum Homero obiter & allegoricè
describitur.*

SI QUID omninò in me a-
gnoscerem vel mediocri lau-
de dignū, Viri ornatissimi,
lætarer profectò mirificè cū
Neuiano illo Hectore abo-
ratore laudari omnium facilè laudatissi-
mo: cuius ego iudicio tantum tribuo, vt
longè mihi sit iucundior atque plausibilior
tacita sua vnus existimatio, quàm si vel
vniuersum Romanum forum acclamet,
suffragetur, applaudat: aut me tantus exci-
piat & suspiciat hominum concursus, quan-
tus olim Xerxem exercitus, nominis & fa-

ma perennitate celebratus. Vt enim v^oto-
sa suffragia plebis, quæ pari temeritate &
probant, & reprehendunt, nunquam sum
aucupatus, ita probatorum virorum calcu-
lis cōmendari pulcherrimum sanè semper
existimaui: qui nec quenquam falsò sua pro
simplicitate velint attollere: nec possint
pro sua prudentia falli: quorum neque do-
ctrina suspicionem erroris, nec vita quip-
piam resipit assentationis. At splendida
istiusmodi laudes tantū abest vt mihi cri-
stas erigant, vt vndecunq; inglorius vehe-
mentiùs etiā mihi displiceā: qui admoneri
videor, qualem me esse conueniat, cum ea
de me prædicantur honorificè, quæ in aliis
veneror, in me desidero. Et ne merces igno-
ras inani vobis obtrusas ostentatione que-
ramini, me ipsum depingere instituo, tantò
quidē meliùs, quantò sum ipse mihi, quàm
aliis, notior. Quod antequā aggredior, mi-
hi subuerendum video, ne purgatissimas
aures vestras affabili Encomiastæ eloquen-
tissimi canoritate delibutas densissimis o-
rationis meæ salebris exasperem. Nam
quamuis obscurius nomē sit meum, quàm
vt eius splendore quenquam excitatū pu-
tem, vixque humili dignādum veniat dex-
teri-

teritate dicendi, & hoc imbecillitati meae plurimum alacritatis & virium exhibeat, loci tamen huius sublimitas non nisi grandiloquentia & sententiarum maiestate per sonare solita mihi mirum incutit terrorem, nervos quantulacunque facundiae (quae in nobis nulla, aut perquam est exigua) conuellit omnes, metis aciem perstringit. Nec minus, opinor, mihi in eo difficultatis incumbit, ut quicquid dixerò ad eam submittam moderationem, quae omnium stomacho satis possit facere, parere nauseam nemini: ut non minus quid aures cuiusque pati valeant, quam quod virtutibus debeatur, attendam. Quorum alterutrum à me quis desideret, cum anxietatis sit indefatigabilis alterum, alterum humanae plusquam solertiae? Sed enim illud non extimesco, ne gratus, ingratusve habear, prout satis, parumue dixerò. Animaduerto enim Deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate gaudere: gratiorémque existimare, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditarum carmen intulerit. Iam verò ne vos longiore morer pro æmio, neue facilitate vestra ambitio se abuti, aut nullam

B

penitus officij mei rationem duxisse videar, vos vos oro atque obsecro nostram in dicendo exiguitatem mansuetudinis, clemētiāq; vestra magnitudine subleuetis: quāque mihi toties non inauspicatam prae-
re fiduciam voluistis beneuolentiam vestram, eandem hodierno die initiū & finem quæ cupio, quæque cogito, eloquendi patiamini afferre. Ego quidem (Viri percelebres) à D I V O I V N I O oppido Lemouicibus contermino oriūsus, parentibus natus antiqua probitate & fide claris, fortunæ dotibus non ita locupletatis, sic sum ab incunte ætate educatus, ut charissimum patrem ANTO. VALETIVM habuerim præceptorem: qui, licet ab ocio literario distractus & auocatus aliud iniisset vitæ genus, me Grammaticis artibus intinxerit, imbuerit, informaret: nec prius à se auelli permitterit, quàm altiores ad doctrinas capessendas erectū senserit. Mox ubi primis illis ex auspiciis nonnullam de me cœpisset expectationē, optimos quosque, qui eò loci haberentur, præceptores sibi familiaritate iunxit: quorum doctrinam & mores (ut mihi rectius foret consultum) exploraret: è quibus vnum aut alterum, cui mei curam cre-

deret, deligeret. Pauculis pòst annis emicāte simul cum adolescētia visa est sese ingenij veluti renascentis facies exerere: quòd Oratoriæ & Poëticæ artibus eam operam non pœnitendam nauâssem, quæ me prorsus auerso à Musis animo non esse testatū cuius reliquisset. Intereà crebris parentis obiurgationibus interpellatum, & ad ampliores in literis progressus factirandos animatum me mira incessebat cupiditas insignes lustrādi academias, vnde disciplinarum aliquid & sapientiæ haustum sperarem. Verumenimuerò istud animi mei votum, laudabile quanuis & honestum, comprimabant rei domesticæ angustia sumptibus in studia sufficiēdis impares: vt idet antiquum est, & haud scio an etiam fato literarum quodam comparatum, vt quò quis ingenuas artes cōplectatur studiosiùs, hoc fortunæ fluctibus iactetur acerbiiùs. Ista tamen mearum ex rerum tenuitate impedimenta minimè pertæsus, cœptis insistendū duxi: & tanquā Herodoticus ille Solon, aut Homericus Vlysses cognoscendi studio peregrinū agens, boni visus sum genij comitatu beari, qui perpetuam bonorū catenam, trahentibus inuicem ansis, mihi in

B ij

hâc vsque lucem porrexerit. Etenim simul-
atque nudum me Lemouica charybdis ex-
teris oris euomisset, gymnasij celebritate
Aquitanici (quo nullû videre fuit celebrius,
quandiu Gallicum orbem pacis tempera-
uit amœnitas) illectus,

Burdigalam concessi urbem, elementia cœli

Mitis ubi, & rigue larga indulgentia terre.

AT QV E ibi cum cogitare de iuventutis
erudiendæ subeunda provincia (hæc enim
vnica fuit studiorum meorû alumna) mirû
quot in scopulos impegerim, quâti me vi-
derim difficultatibus circumseptum. Non
enim ætas huic par oneri sustinendo vide-
batur, quòd annum vix decimû attigissem
quartum. Feliciorem tamẽ, præter opinio-
nem omnium, sortem nactus, me totum ad
studia confero, & primariæ urbis augustis-
sima antiquitate, & venerabili moderato-
rum autoritate, spectatissimóque candore
permotus. Tum enim Burdigalæ tam
plena Musarum erant omnia, vt de ea aptè
dici potuerit, quod in editis collegij fori-
bus duro marmore incisum carmẽ legitur.

Non decuit Musas vlla magis vrbe locari,

Quàm quæ Phœbigenam protulit Ausonium.

IN E A per quinquennium sub Nicolao

Mongelosio Doctore Theologo, Philosophoq, eminentissimo, & Helia Vinero celeberrimo Mathematico, Græcæque literaturæ callentissimo institutus, Philosophicâ tandem ad lauream cõtendi. Ac paulò post cum prælectione publica viris probis & doctis inotescere cœpisssem, alij me Iuris peritiæ natum dictitantes, Tholosam legum altricem mittebant: alij ad instituendam subinde iuventutem incitabant. Neutrorum in verba credul⁹ ARNOLDI FERRONI viri quondam Senatorij, & literarum (vt literati nôrunt omnes) omniû, maximique iuris vtriusvis Antistitis saluberrimum sum consilium amplexatus: qui Consiliarius Regius mihi infimæ notæ homini vt consulere, nōnihil de sua gravitate remittebat libens, tam mihi benè cupiebat. Persuasus à Romanis musis ad Græcanicas, tum demû ad Medicinam desciscere, florentissimam hanc Parisiorû Lutetiam, vel potius Luce-tiam, in qua lucent omnia, quibus humana sese efferat gloria, aduētare quàm cupidissimè optavi. Urgebat id desiderij rediuiua in ADRIANO TURNEBO Galliæ nostræ miraculo omnium palæogræcorum & Latinorum cōsummatissima eruditio, non

B iij

totam modò complens Aquitaniam, sed
 cunctis etiam terrarū angulis protuberans:
 necnon aureum Aurati nostri vellus, auro
 quouis omnibus opulentæ Græciæ thesau-
 ros affectatibus, omnibus abditissima Poë-
 ta rum orgia rimari cupidis, amabilius. Oprati
 compos, diuina annuente mihi benignita-
 te, euaseram, ni illum mihi, totique Reipu-
 literariæ (quibus satis viuere nunquam po-
 tuisset) acerbam luctuosamque morte præripi
 contigisset. Tanto orbatus præceptore vni
 Aurato (Palladiæ palæstræ tam exercitato
 duci, vt Attico & Latio cælo genitus creda-
 tur) totum me tradidi excolendum: qui Ho-
 mericorum mysteriorum diuinissimus in-
 dagator, & Pœoniæ amplectendæ cupidi-
 nē allegorica poësi mihi egregiè refricue-
 rit, & eiusdem prima delineamēta miranda
 ingenij industria designârit. Primū enim
 Medicinæ dignitatem ex ipsius anti-
 quitate, antiquitatem ex ipso antiquissimo
 poëtarum Homero repetebat: qui cuncta
 Græcis ad tātā expeditionem necessaria
 cū locis in aliis, tum præcipuè in cathalo-
 go enumerans, duos illos memorat excel-
 lentissimos medicos Podalirium & Ma-
 chaona Aesculapij filios.

Τῶν αὖτ' ἡγείδην ἀσκληπιοῦ δύο παῖδες
 Ἰητῆρ' ἀγαθὸν ποδαλείου, ἡδὲ μαχάων.

Q V O R V M nomina ab utraq̃ue Me-
 dicinæ parte vel effecta, vel efficta videri
 possint: ut μαχάων ἀπὸ τῆς μάχης appellatus
 priorē Medicinæ partem Chirurgicem, quæ
 circa vulnera versatur, & cuius inter bella
 frequens sit vsus, innuat: ποδαλείου alterā,
 licet subobscuriùs, significet. Cuius nomen
 ἀπὸ τῆς ἡλείων, quod plantarū genus omne
 est poëtis, & πεδα, ο in e verso, quo Bæoti,
 attestātē Pindaro, pro μετὰ vtuntur, sit pe-
 titū: quasi inter flores & plantas agere Me-
 dicus dicatur. Aut, si quis malit, quòd ad e-
 undem pertineat suis plenum numeris me-
 dicum & ferri ad sectiones, & herbarum ad
 fomēta tractatio, per illum Machaona ferri
 vsus, per Podalirium herbarū applicatio-
 nem accipere licebit. Neque verò noster
 Latinus Homerus Virgilius, non, ut alia
 omnia, & hoc felicissimè est imitatus, Iapin
 illū suum Iasi filium Chirurgum siue Medi-
 cum Aeneæ castris adhibens, quæ non tam
 ἀναγκῆος πολέμου, quàm ἰατρῆος, seque-
 retur.

*Iámque aderat Phæbo ante alios dilectus Iapis
 Iasides: acri quondam cui captus amore*

*Ipse suas artes, sua munera letus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celeresq; sagittas.
Ille ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, vsumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.*

Q V I B V S in versibus duo audio occurrere, quorū alterum vel imprudentem lædere, vel prudentem facilè fallere queat. Quis enim prima specie non durius illud Virgilianum censeat, in quo spectis Apollinaribus donis maluisse Iapin ingloriū mutas artes agitare traditur? An mutæ Apollinæ artes, quæ tam multis voluminibus à disertissimis sunt conscriptæ? An ingloriæ, quæ ex hominibus semideos, ex semideis Deos, ob diis similem medicis cōcessam facultatem, faciant? At mutas & inglorias artes vocitat, quòd tales apud Romanos, vel Platonis tempestate, haberentur? Sanè quidem, cum Romani adhuc rudiores cuiuslibet artis, quàm artis, essent. Quinetiam ludit poëta, cum Iapin augurium, cytharam, celeresq; sagittas præ ipsa medica arte contempsisse refert. Illa etenim tria tres Medicinæ partes occultè indicant: auguriū prognostica, quæ partim Physica, partim Metaphysica constant: cithara temperaturam humorum

humorum & medicamentorum : sagittæ
 ferramentorum vsum artificiosum, certum,
 & expeditum, tam in venis pertundendis,
 quàm vlceribus aperiendis . Sed & quis-
 piam fortasse mirabitur, quòd Chironem
 illum Medicum celeberrimum (cuius me-
 dica schola fuit *πῆλιον εἰνοσίφυλλον*, Pelion
 stirpium varietate vberrium) & *φῆρξ*, id-
 est ferum, & semiferum seu semihominem
 pinxere, cum alterutrum Medico minimè
 conuenire videatur . Verùm ferus esse de-
 buit, non solùm propter sylvarum ad her-
 bas peragationem, & studiorum solitudi-
 nem exquisitam (nam & Pholoën habitâ-
 runt Centauri, & *φάλια* dicebantur ferarũ
 lustra, & studiosorum cõuenticula) sed etiã
 quia immisericordem esse deceat, cum a-
 lioqui cæteris in artis suæ operibus sit ita
ἥπιος ἰαπατήρ, velut humanus quidam pa-
 ter, vt idcirco vtrâque ei sit natura tributa:
 feræ, ad ferro, vt igne, vtendum: hominis,
 ad secta & vsta leniendum. Est etiam, quod
 altius lateat eo in figmento adumbratum
 mysterium . Nam cum Medicus esset anti-
 quis, qui diuina calleret, & humana (in qui-
 bus tota est Philosophica commentatio à
 Barbaris, Hebræis, & Aegyptiis inuenta, &

C

cum suis pellibus aureis deuecta) Centau-
 ros illos humana effigie cum ferina mixtos
 dederunt, hominis simulachro diuina & a-
 nimam, feræ, humana & corpus, complexi:
 vt sicut mores & affectus animi temperiæ
 corporis sequuntur, adeoque affectus cor-
 poris affectuum animæ temperaturam, ita
 in utrôque peritus medicus habeat versa-
 ri, & proinde perfectus esse Philosophus.
 Artis autem medicæ heroïcis illis tempori-
 bus duo summa erant emporia, Thessalia
 & Aegyptus, sed quorum fides auribus tan-
 tum creditur. Nunc duo sunt, quorum ocu-
 li vobis fidem faciant, similia medicæ artis
 gymnasia in hac nostra Græcia, vel etiam
 maiore Græcia Gallia: alterum apud Mon-
 tem Pessulum, quasi Pelion alterum, vbi sui
 non desunt Chirones: alterum apud hanc
 nostrâ, Aegypti simillimam Lutetiam: cum
 sicut illa limo à Nilo congesto, ita hæc Se-
 quana & Matronæ confluentiu fluminum
 luto coaceruata & fundata, vnde Lutetia à
 luto nomen ceperit, videri possit. Et vt illic
 Chirones, sic hic sint non semihomines
 Centauri, sed omnium formarum Protei:
 qui (quod de illo dicit Homerus)

ἴσασι τὰ τ' ἐόντα, τὰ τεσσάρη, πρὸς τ' ἐόντα.

H A C ergò in Aegypto orbis theatro
ceteris medicæ facultatis phrōtisteriis pal-
mam præripiente vniuersis prima Medici-
næ iacturus fundamēta, imprimis I. C A R-
P E N T A R I V M Philosophū & Medicum
præstantissimum in Physiologicis audiui:
mox Apollinares solertissimorū Doctōrū
scholas L A F I L A E I, Viri non solūm admi-
rabili integritate vitæ, verumetiā alta, re-
conditāq; doctrina, tum morū quoq; incre-
dibili comitate cōmēdatissimi, R O C H O N I
subtilis. C O M I T I S scientissimi, M A L M E-
D I I doctissimi & disertissimi, C A P E L-
LÆ numerosa disciplinæ supellectile instru-
cti, frequentavi, donec adultior factus se-
dentem Regali in suggestu Hippocraticæ
assertorē fidelitatis grauissimum, L V D O.
D V R E T V M, Regis Consiliarium & Me-
dicum, eiusdēque Principis in Iatrica Pa-
raphrastem luculentissimum audacter ad-
ierim: à quo, tanquam ab authorato sacris
oraculis Aesculapio, incredibiliter confir-
marer. Per quem certè quantum profece-
rim, dicere non ausim, ne vanam laudatio-
nem temeritatis & imprudentiæ plenam à
me extundere velle existimer, à qua me
semper habui, habiturusque sum alienissi-

C ij

mum. His nō infelicitè actis Medicinæ pri-
 mordiis ciuile bellum funesta calamitate
 formidabile lares patrios repetere, se tur-
 bulentissimis tempestatibus committere,
 vale denique Gatiis & Musis Valetium ære
 minimè valentem dicere imperabat, vtdi-
 xissem meherculè,
Anchora firmasset nisi nostram querna carinam:
 id est, me animo fluctuantem, vel etiam
 consternatum & fractum viri eruditorum
 optimi, & optimorum eruditissimi LEO-
 DEGARIA QVERCV, Regij Doctoris
 meritissimi solida probitas confirmasset,
 extulisset, beasset. Illius enim sincerissima
 pietas fortunam in me detronasse conspi-
 cata, mihi cœu certissima Cynosura prælu-
 xit, tādémque ad portum deduxit cum ma-
 ximi illius Adriani Turnebi liberis, haud
 vulgaris spei adolescentibus, perfruendum:
 quib⁹ in studiis dux & author essem. Quod
 non postremæ felicitati, quandiu vita con-
 stitero, apud me ductum fuerit, me parētis
 illius præfectum esse pignoribus, quem co-
 lat vsque, culturâque sit posteritas, dum li-
 terarum memoria perennabit. Tantulo vix
 otio licuerat fruisce, cum Iuno rursus aliqua
 in nos Acolum conflauit,

Vnde rei subiit nobis noua cura gerenda.

Stadium medicum amicorum suasu mihi emetiendū esse intelligo. Ego inopia pressus ancipitem in cogitationem venio, captandi fermè cōsiliij nescius. Ad religiosissimum illum literarum mystem, Regij iuris Cognitorem integerrimū AEGIDIUM BORDINVM (qui iam relictis mortalibus suo fruitur Christo, quem semper habebat in ore, semper in pectore) rem detuli: vt erat humani illius numinis tam mihi libera, patēisque familiaritas, quā quæ vnquam alij fuerit liberrima, atque patētissima. Cui cum consiliorum meorum rationes significāsem magis, quā explicuissem, videbimus, inquit, diligenter aliquid, in quo sit cum certa tuendi studij tui fides, tum eius, quem tibi auxiliarem postulas, fauoris mei explorata potestas. Fac animo sis magno, nec quicquam esse putes tāti, quod studiorum tuorū iter interrumpat. Paruo tibi ad hæc fouenda sumptu opus est: is autē nusquam homini studioso & frugi deesse potest. Non tam acerbus, quem impendere dicis ex paupertate, casus videtur, vt cū eo tibi omnem libertatis & dignitatis spem abiiciendam arbitrēre. Age, & memineris

C iij

hominem te esse, qui iampridem cum fortuna, quæ omninò non sit pessima, luctari cœperis: cui quæ nunc iacet afflicta, aliquândo emerfura sit virtus. Obsequio sum tanti viri monitis me præbere decuit, repugnante tamen imperiosæ Deæ cæcitate. Ad baccalaureatum prouectus, vel mihi Mecœnatem inueniendum, vel tanto supersedendū molimine existimaui. Tum Ioannes Auratus Poëta Regius, ὁμόπαις meus mihi multis nominibus obseruandus, me anxietate istiusmodi penè cōfectum quàm commendatissimum habuit Iacobo Amiato, magno Regis Eleemosynario, quàm terfo, quàm nitido, dii boni, epigrammate.

*Excellens bonitas, benignitasque,
Excellens studium tuum fouendos
In cunctos ope Regis indigentes,
Præsertim pietas probata quorum est
Certis testibus, eruditioque,
Multos incitat, ut tibi probari
Optent, cūque probaueris, foueri.
Hunc ergò tibi testor esse vtrūque,
Et castum pietate, & arte doctum.
Eius sed studiis ad altiora
Enitentibus obstat, officitque
Res angusta domi. Fauente nunc te,*

*Regis subsidio petit iuuari
Ad sumptus medicæ professionis,
O doctorum Amicte summe amator.
Fac ergò studet arte qui mederi
Multis, huic medearis ipse egenti.
Nam nomen facit omen, hunc futurum
Felicem sua in arte: plurimòsque
Facturum esse Valetium Valentes.*

N E C defuerunt qui Regi, non qui Lo-
tarenò Cardinali me in alumnum daturos
se iureiurando affirmarent. Quid rum? His
& illis Aulicis ampullosam tantùm & sub-
uentaneam inesse gratiam, pollicitationi-
bus luxuriantem, rerû vacuum sum exper-
tus. Eò tandem recidi, vt in angusto spes
omnis mea videretur posita, nisi inconcul-
sæ, intemeratæque Theologiæ ter maximû
Heroa velut è Iouis aula ad me deductum,
aut è naturæ adytis erutum, Obseruandissi-
mum Patrem, F. I A C O B U M H V G O-
N E M, Franciscanæ Phœnicem familiæ,
Regium Ecclesiastem orthodoxa fide & vi-
tæ sanctimonia conspicuum, diuino (vt id
de me profitear ingenuè) afflatus spiraculo
in meum patrocinium inuocâssem. Vene-
rat scilicet in mētē mihi eum, qui ab om-
ni terrena fæce Christiani amoris igne ex-

coctus esset, qui natalium alioqui claritudine & nobilitate conspicabilis cuncta Deo reliquisset, qui niuea probitate candidus cæteris prænderet, eum, inquam, afflictas meas piis oculis respecturum esse camænas. Nec mediusfidius mea me fefellit opinio. Illius enim ad genua prouolutus, suam clietelam impetraturus (ratus mihi clienti pauperi potiore futurum pauperem mecœnatem) diuinum statim illud mihi dedit eloquium.
Macte animo, Christus iustum miseratur alumnum.

O MENTIS aureæ bracteatum dictum! ô candidissimo de pectore lactei sermonis alimoniam! Quid postea? Quicquid de tenui Regiæ cathedræ reditu dare potuit, id in annuam versum eleemosynam, mihi studiisq; meis erogauit, sibi nihil, præter Christum reservans. Hoc vnico Mecœnate auspice viaticum habui ad medicum curriculum: & quod à Torrente, id est Cardinalialiquo, Episcopo, Abbate, aut alio ecclesiasticorum prouentuum aucupe corradere non potui, id à riuulo, Christigenæ, Frâciscanæque paupertatis æmulo sum facile cōsequutus. Sed effare, quo merito? Quid me oneras sciscitator? Rationem felicitatis nemo reddit: Deus & qui Deo proximus tacito
sua

sua munera dispertit arbitrio, & beneficiorum suorum indignatus per homines stare iudicium, manu de subditis dedisse miraculum. Quo inquis merito? Ego nullum scio: totum mirificæ mei Meccœnatis pietati & gratiæ, quam de cōmuni Deo plus quàm ullus hausit, acceptū refero. Nec est ut causetur aliquis fortunarum suarum vacuitatem, quā tantum possidere lex est, ut mendicare sit necesse. Nemo enim tam egenus, ut pietatem colere non possit. Nonne servulus ille mendicus paralyti resolutus, cū elemosynis sustentaretur, quicquid in diem sibi erat residui, cæteris offerebat, nihil in crastinū sollicitus, sed quarens regnū Dei, & eius iustitiam? Hoc voti habuerunt & antiqui patres, sacrosanctæ fidei cultores optimi, qui nulla in pauperes liberalitate satiati ad egestatem ferè ultimam pervenerunt: imò in tantam sese angustiam coniecerunt, ut in funere suo alieno syndone fuerint inuoluendi. At quantò tunc se pauperiores fecissent, tantò postea amplioribus in cœlorum regno locupletatos iri divitiis probè nouerant. Ecquid aliud de beneficentissimo meo cogitauerim Meccœnate, qui me tam pio complectitur animo, ut pietatis pretium offerat Deo? Neque ei

fuerat hac me sorte felicitâsse, nisi FRANC. BRIGARDI, Regij Medici, & medicorum procerum amplissimi Coryphæi, omni virtutis præconio superioris, mihi propè paternam beneuolentiam conciliâsset, vnâq; PETRI LAFILAEI famigeratissimi nominis Doctoris (cuius vel ipsi Apollini tam miranda viderit possit sublimioris artis penus omnigena, quàm visa quondam admirabilis toti Graciæ Coi senis diuinæ eruditionis præstantia) singularem fauorem adiunxisset : qui mihi in Cardinalitia, Myronis Medici Regij vice, moderatoris prudentissimi officio functus, germanum sese præceptorem obtulit: nec me passus est sua mente, tanquam stigmaticum, vel spurium discipulum, turpiter excidere. Vtrûmque, Brigardum dico, & Lafilæum, quamuis nascentis laudis meæ fautorem agnosco, te tamen, mi Hugo Mecænas colendissime, speratæ dignitatis authorem fore confido. Quanquam verò tanta sint ista tua in me beneficia, vt, etiamsi capitis huius auctorem fecero, quantum tibi fiat obæratum, nō queam exprimere, maiora (si quæ maiora sunt, quorum nulla perspicio maxima) à te expectârim: tam alta in mente tua repositum hūc tuū clientulū videor videre,

Equidem dies noctesq; vt debeo, in te animū conuertens, humana duntaxat incommoda, & variabiles valetudinis euentus reformido: doloque felicitatem meā, quam immortalem esse vellem, in vnius mortalis anima consistere. Hæc sola, qua gloriior, cui viuo, quam veneraturū me tādū, quandiu spiritus intus egerit, sanctè iuro, polliceor, testor. Hæc me sola (Doroni Orator *πανδωρότατε*) commendare debueras beatitate, non alia meis ex lusibus præconia venari: nisi fortè lucis aliquid meis scriptis appictū credideris, quo mei Mecœnatis (cui mea sacratur omnia) oculi capi possint. Ast quantulacūque illa sunt poëtica, si laudare fas est, hoc sanè mihi non improbabuntur nomine, quòd casta sint:

*Nec Cypriæ curas, vel olentia gaudia cantent:
In mores acuant sed spicula multa pudicos.*

HIS EGO scriptionibus oblector, quæ mei curas animuli studiis grauioribus exerciti leniant, diluant, & ad eadem grauiora studia resumenda faciant alacriorem. Hæc mea est pila palmaria, quæ quatuor abhinc annis ludi cœpra orsa est Galliadem heroo carmine describere, Græca aliquot opuscula Latinitate donare. Hæc sola est, quæ perficiet, ne quem vnquā

D ii

lateat (si modo is sum ego, cuius opera ad posterōs peruētura sint) me à cæteris, incolūmi omnium gratia, qui ad hoc medici honoris fastigiū diuersa vnquam virtute venerunt, venturique sunt, secretum esse : in quem intueantur, qui paupertate præuenti libero ad medicum gradum aditu prohibētur. Hæc sola, quæ cunctis mortalibus adimat occasionem demirandi Alexandri Magni in Chærilum beneficentiam, Meccænatris in Maronem & Flaccū inexhaustam benignitatem, Vespasiani in Plinium studiū, Gratiani Cæsaris in Ausonium humanitatē, Laurentij Medicis in Politianum seculi nostri delitias amabilem fauorem, vt vnicum Hugonem meū Meccænatem supra fidem suspiciant omnes. Quod me Nicædro comparas, id debeo facilitati naturæ tuæ ab omni liberali doctrina instructissimæ : quæ vt ad bene dicendum, ita ad meliores cogitationes scriptis cōmendādas est aptissima. Sed si me res iudice definiatur, te reuerā *ῥιγερὸν*, virorum, vt pote oratorum, triumphatorem sanxerim : qui pauculis diebus plus Arpinitatis, collimatæque eloquētiæ fuderis, quàm quinque Demosthenes, totidēmq; Cicerones paribus numero annis à se potuerint extorquere. Superest (Vi-

ri grauissimī) ad metā nostra properet oratio, immensūq; cedat verborum agmini, ne videar ad referēdam gratiam tardior, cū vos ad officium promerēdum tam fueritis expediti. Primū igitur Deo optimo, maximo, & immortalī (qui meæ menti semper lumina prætulit, qui teneræ ætati docilitatis commodum, & ad naturæ propensionem suæ auxiliū gratiæ addidit, vt liberaleis disciplinas perdiscerem, sed suæ gloriæ seruituras, quarū adminiculis adiuta mens mea eius cognitionem ampliū assequeretur, quem nosse humanæ summa est felicitatis) Deo, inquam, immortalī tātas ago gratias, quāta valeo infinitæ suæ misericordiæ virtute: quoniam tantæ suæ bonitati debitas laudes, etiam si millena huius corpusculi membra in totidem linguas abirent, non potis sit rependere. Christiparæ Virgini, Cælitibûsq; omnibus, qui ab huius mortalitatis pelago ad portum quietis, tranquillitatis & pacis peruenire meriti, nostri dignātur esse memores, qui in huius vitæ sælo circumstantibus agitamur procellis, quāta queo religione, & fide grates habeo. Parentibus dilectissimis, quibus secundū Christum & cælicam cohortem plurimum honoris deferre teneor, immortales ago gra-

D iij

tias, si possem, etiam referrem: cum eorum fortuna remunerandi vicem insinuet, sed nostra non suggerat restituendi facultatem. Mecœnati meo mihi semper colendissimo tales pro tantis suis in me meritis gratias persoluo, quales apud Deum fieri cōuenit, sentiendo copiosius, quàm loquendo. Atq; iterata pollicitatione hoc vñum ex animo promitto, perfecturum me, vt non modò hæc hominum ætas, sed etiam tota ferè posteritas, quàm benè apud me studiũ, operã, officia sua collocãrit, intelligat atq; cognoscat. Te verò, AEGIDI BORDINE, quem ab hac rerum humanarum perturbatione in diuinas illas sedes migrãsse non dubitãter asseuerãrim, si cuius vnquam pietas, atq; benefida innocentia ab impiorũ pœnis tuta, cælòq; digna est credita, tete patronum olim meum qua mentis gratitudine prosequar? scilicet? obseruem? Nefas, arbitror, esset mihi tuos Manes excire, vel sollicitare: quorũ apud me rã rata est salus, vt eos mihi veneratione potiùs, quàm misericordia prosequendos putem, atque etiam propitios iam exoptem. Vt tamen grati animi conatum ostendam, officium omne meum Aegidio & Claudio Burdinis liberis amantissimis, qui tui desiderio extinguũtur, vo-

ueo & dedico, illis etiam, si possim, suum omnem tuo ex interitu dolorē exhausturus. GVL. POSTELLO disciplinarū omnium fecundissimo promo, omnium, mea sententia, nostro æuo literatorum literatissimo, qui speciosissimam suam illam poly-matheiam (qua cunctis ita antecellit, ut albis, quod dicitur, equis præcurrat) mihi cōmunem fecit, qui quamuis tenuioris census, aut opibus spoliatus omnibus, me quāta potuit liberalitate auxit, magnas habeo gratias, maiores, cum res tulerit, habiturus. IO. AVRATO, LEOD. A QVERCV, FRANC. BELLEFORETO, IO. VVILLEMINO, Viris clarissimis, omnisque literarij ordinis signiferis veluti protomy-stis grator plurimum, propensum, quamdiu vixero, eorum in me animum memoraturus. Vos verò (honorandi præceptores) vos simul omnes hac voce affabor, ne se quis ægè vel iniqua sede locatum, vel malè descriptum, præteritū me ferat.

*Asi ego quas tanto vobis pro munere grates
Reddere sufficiam, collegi maxima vestri
Nomina, in arte quibus Podalirius, atq; Machaon,
Atq; Amythaonius nequeat certare Melampus?
Denique non ipsi duo, quorum semifer hic est,
Totus at ille ferus, decus & Deus artis uterque:*

*Doct.ribus
Medicu.*

Semifer ille decus, Deus alter, qui fera totus,

Anto. Vi- At te quo dignè quo carmine compellabo?

uario Can- Cuius cancellis Academia tota quaternis

cillario, Septa manens, intra sua tot vinaria pisces

Servat, nec mutos, nec languentes malè, verùm,

VIVARI, viuos, & vina voce vigentes.

Claud. d'O- Nec te præteream, quo conciliante iugales

ron Para- Me velut in thalamos admisit sponsus Apollo,

nympho. Pronuba nō Iuno, D'ORON, mea sed (mihi si fas

De te vera loqui) mea pronuba, & innuba Pallas.

FINIS.

A ANTOINE VALET

MEDECIN.

Ayant ce que tu as, VALET, que cherches-tu?

Ne t'est ce pas assez, que ta main glorieuse

Sur l'ignorance soit dé-jà victorieuse,

Et tienne dessous soy ee serpent abatu?

Ne t'est-ce pas assez, qu'au roc deux fois pointu

Ou t'aye veu monter par la trace poudreuse?

Ne sçais-tu (tant sa suite est pauvre & mal-heureuse)

Que peu souvent Fortune accompagne vertu?

Tu te plains de ne voir guerdonner ta science

Des presens meritez du Cornet d'abondance :

Et tu vas regrettant l'or du siècle doré.

Pren cueur, docte VALET, chasse loing toute crainte:

Car puisque de vertu ton Galien s'acointe,

Par luy tu seras riche, & par elle honoré

FR. D'AMBOYSE PARISIEN.

AD OBSERVANDIS-
SIMVM PATREM, F. IACOBVM
HYGONEM, DOCTOREM THEOLOGVM
celeberrimum, Ecclesiastem
Regium verè pium &
orthodoxum,

IO. AVRATI POETAE RE-
GII ELEGIA.

EDITE Pisones iam, Messalæ-
que vetusti,
Summa quibus doctos fama fo-
uere fuit.
Cedite vos, quorum celeberrima
gloria aurat,

O Mecœnatum nomina clara virum.
Magna quidem vobis laus est aluisse Poëtas,
Sæpe quibus largas annuerastis opes.
Dona sed illa velut magno de flumine riuu,
Utque redundantes fonte videntur aquæ.
Vnus (& hic nostro res admirabilis æuo)
Mecœnas reliquis anteferendus erit.
Qui (quod vix olim pauci, sed tempore nostro

E

Nullus penè graues præstitit inter opes)
 In studia è paruo pauper largitur aceruo,
 Quantas non Vllus diues auarus opes.
 Nam qui magna dedit, quæ vix dedit vnus &
 alter,
 Hoc nostro doctis tempore dona Viris,
 Quamuis magna dedit, nō magna dedisse videtur:
 Cui maiora datis, quæ dare possit, erant.
 Nunc sibi nunc placeant, quos nostra habet Aula
 potentes,
 Et dare se doctis præmia magna ferant.
 Vnus sola decem dat parua numismata, & omnes
 Iam Meccœnates post sua terga videt.
 Vnus egens, sed sponte, Deo qui cuncta reliquit,
 Diues, & antiquæ nobilitatis homo:
 Inter mendicos Vtrò sua qui dedit olim
 Nomina, Franciscum subsequiturque ducem:
 Franciscum, Christo qui sub duce paupere pauper
 Militat, & multos, qui comitentur, habet.
 In quib⁹ vnus hic est animo pauperrimus HVGŒ:
 Ingenio cū sit diues, & eloquio.
 Cuius & in magna vox admirabilis aula,
 Grataque Parisia semper in vrbe sonat.
 Nec dubium bona quin possit maiora relictis
 Quærere, quæ sit si sitis Vlla foret.
 Sed non Vlla semel contempii cura peculi,
 Vlla Viro spretas condere rursus opes.


Quod satis ipse probat facto generosus in isto,
 Mecœnas pauper pauperis esse volens.
 Miror & unde tibi res venerit ista, Valeti,
 In mentem, ut velles pauperis esse cliens.
 An tibi tam sterilis, tam nullis artibus æqua
 Aula tibi visa est Regia, quanta fuit?
 Ut non eligeres de mille potentibus vnum,
 Quem Mecœnatem dixeris esse tuum?
 Non erat hic Abbas aliquis, vel Episcopus ingens?
 Non qui de Christi cardine nomen habet?
 Qualis ibi meus est Mecœnas optimus vnus,
 Lux Lotharingiacæ Carolus ille domus.
 Cui licet hinc curas, illiacque det Aula frequentes,
 Qui licet immensum vertice portet onus,
 Respicit afflictas tamen vtrò sepe camœnas:
 Et prompta doctos subleuat æquus ope.
 Huic aliquem similem, similem si quæ capit Aula,
 Quæsissem, sed vix inueniendus erat.
 Quæsitæ est ideo tibi quæ fuit vna secunda
 Anchora, quæ naui sola relicta tuæ.
 Ut quia nunc non dant, quæ debet, & dare possunt
 Pauperibus dites dona pijsque Viris,
 Quam tibi non licuit plenis de fontibus vnam
 Haurire, è riuo pauperiore petas.
 Nec tua te, quamuis spes insperata, fefellit:
 Quæ non dat torrens, riuulus ecce dedit.
 Qui quæcunque pios sibi quis donauit in vsus,

E ij

In studiorum usus contulit ipse pios.
Quod tua, quod grato mea nunc pia carmine Musa,
Ne lateat factum tempus in omne, facit.
Nam quamvis patriæ consors tibi gratulor, ipse
Gratulor hac patriæ plus quoque sorte meæ.
Magna meæ patriæ laus est habuisse patronos
Auratum è prima nobilitate duos.
Nam mihi iam iuueni studiorum fautor & author
I A N V S erat Lotaræ gloria prima domus.
Morte sua functi patrui Lotarenus alumnum
C A R O L V S excepit, Regis & esse dedit.
Iure igitur memori semper mea carmine Musa
Per Lotarenigenas ibit amica suos.
Quæ cum sit patriæ per me laus maxima nostræ,
Non minor est patriæ quæ modo sera venit.
Illi me dites iuvenere, iuvantque patroni:
Tu popularis egens sospes egentis ope es.
Nec minor est pietas, sed (Christo iudice) maior
Eius, cui fuerant parva Minuta duo.
Quæ tamen exilis pia scemina contulit unum
Pauper in ævari magna tributa sacri.
Cumque Deo partita brevis patrimonia census,
Ipsa tulit partem, pars data iusta Deo est.
Exemplum Viduæ cælebs renouavit & H V G O:
Illam dedit pauper, pauper & iste dedit.
Fœnerat illa Deo, quæ dat munuscula templis:
Fœnerat iste Deo, dans sua dona pius.

Nam quæ sit pietas maior, quàm velle benignum
 Auxilium studium exhibuisse pius?
 Scilicet est studiis quædam concordia iunctis:
 Omnes quidam artes concilianit amor.
 Nec vati vates quisquam bonus inuidet unquam:
 Nec faber est socio res odiosa fabro.
 Certè non medico medicus pius inuidet H V G O,
 Ad medicas artes cui sua dextra pater.
 Nam medicina duplex hominis pro duplici parte:
 Arte sua hæc animum, corpus at illa lenat.
 Artibus humanis homines seruare periculis
 Conuenit, & nomen forsitan inde trahunt.
 Ars diuina quidè est, quæ sacra, Deusque docetur,
 Nec minùs humanis annumeranda tamen.
 Quisquis amans hominum est, alienum non pu-
 tat à se,
 Humanis quicquid ferre putatur opem.
 Et quia non vni tribuit Deus omnia posse,
 Qua fas cuique homines parte iuuare, iuuat.
 Quid nisi sacra docet sapientia, quàm suus ut sit
 Alter amans fratris frater ut ipse sui?
 Hæc tua materia est, tu^o hic labor vnicus, H V G O:
 Regalis Doctor qui pia sacra doces.
 Qualia tu que doces, factis tibi vera probantur:
 Qui facis hæc, aliis quæ facienda doces.
 Munificum esse mones, sis munificus prius ipse.
 Testis hic, & plures, quos mea Musa tacet.

*Quos vel principibus commendas , vel quibus ipse
 Que tibi dat Princeps munera contribuis.
 Pro quibus officiis multi debent tibi multa:
 Plurima sed patriæ debet & ora meæ.
 Quam tu muneribus, quam tu dignaris honore,
 Cum iuueni medico, cui fauet illa, faues.
 Sed tuus exhaustus ne iam labor irritus omnis
 Fiat, in inceptis perge manere tuis.
 Dant extrema decus: cursorem meta coronat:
 Fac tangat me tam tuque tuisque suam.
 Quod facies, nisi deficies: quod non decet actu
 Extremo vatem , qualis es ipse , bonum.*



VERSION DE LA PRECE-
 DENTE ELEGIE.

PLACE antiques Pisons, Messales, & tous
 ceux,
 Qui ont le premier los d'aider aux ver-
 tueux:
 Mecænes renõmez, cedez tous, cedez ores,
 Quoy qu'illustre aujourd'hui vostre gloi-
 re est encores.
 Cevous est grãd hõneur d'auoir entretenus
 Les Poëtes, enrichis de voz grãds reuenus
 Cõme des ruisseletz d'une grãde fontaine,

Ou de ceux d'un grand fleuve, entichie
 est la plaine.
 Cestuy fait plus que vous, qui verse les
 grands eaux,
 Et les fleuves enflez de ses petits ruisseaux:
 Qui son thesor pauvre, & sa pauvre che-
 uance
 Aux pauvres studieux depart en abondance.
 Peu de riches iadis, & bien moins maintenat,
 Donnent de leur avoir si liberalement.
 Car qui donne beaucoup (peu le font à ce-
 ste heure)
 Ne donne pas beaucoup, quand plus luy
 en demeure.
 Ne plaisent maintenat nos riches courtilas,
 Ne veras de donner les grands dons aux sçauas,
 Les cent, les mille escus: si n'y a il personne,
 Qui donne ce qu'il peut, comme cestuy le
 donne:
 Qui riche & de maison à tout à dieu quitté,
 Et pauvre médiant Sainct François imité:
 Le pauvre S. François, & ceux, qui ont suyuie
 De Christ & de François pauvres la pau-
 vre vie.
 Le pauvre toutesfois bien riche se fait veoir
 En sa douce eloquence, & en son grand sçavoir:
 Le qui l'adeste voix en cour est admirable,

Et a tousiours esté à Paris agreable:
Dont bien facilement il auroit amassé
Des biens (s'il eust voulu) plus qu'il n'en a
laissé.
Mais ayant la richesse vne fois mesprisée,
De plus en amasser ne luy viét en pensée.
Ce qu'il fait genereux fort biē voir en cecy,
Pauvre Mecœne estant d'un, qui est pau-
vre aussi.
Et te faisant client ie m'elbahis bien cōme,
Vâlet, tu as choisi pour Mecœne vn pau-
vre homme.
Ne sçauois tu trouuer parmy la court du
Roy
entre mille seigneurs vn Mecœne pour toy?
Quelque Euesque, ou Abbé, qui cust la
bourse pleine,
Ou vn tel Cardinal, qu'est celuy de Lor-
raine
Mō Mecœne? lequel biē qu'il soit oppressé
Des affaires d'estat, dont il se void pressé,
Regarde les sçauans, & leur Muse affligée,
Qui se treuve par luy prōptemēt soulagée.
Mais puis qu'on n'en void point de tel, tu
as ietté
L'ancre de ton nauire en port plus arresté.
Car voyât l'opulât au docte le plus chiche,

Tu as plus esperé du pauvre que du riche:
 Sans que tu sois frustré de ton espoir, Válet,
 Puisant plus qu'en vn fleuve, en vn bas ruis-
 selet.

Noz muses & noz vers le facét d'óc notoire,
 Si bié qu'à tous iamaís en dure la memoire:
 Et l'estre d'un pays soit à ioye à noz deux:
 Mais pl^e le soit à toy cestuy récōtre heureux,
 Qui ne t'aide rien moins, & rien moins ne
 t'honore,

Que moy Iehan de Lorraine, & que Char-
 les encore:

Celuy liberal oncle, & cestuy liberal
 Son nepueu: qui m'a fait estre Poëte Royal.
 Car si de leurs grands biens i'ay receu à
 largesse,

Tu es moís secouru d'une pauvre richesse.
 Du tournois de la Veufue autant fait com-
 pte Christ,

Comme des grands presens, que l'homme
 riche offrist.

Car du bien de la Veufue vne bōne partie
 Estoit offerte à Dieu, l'autre estoit pour sa
 vie.

Elle vsuroit à Dieu, au téple offrát son bien:
 Cestuy vsure à Dieu, l'offrát aux gés de bié.
 Et où scauroit on mieulx l'employer & le
 mettre,

F

Que d'en aider aux bons, & aux hommes
de lettre?

To^o estudes s^ot ioinctz d'une forte amitié.
HVGVES bon Poëte au Poëte onq n'eust
inimitié.

ETHVGVES Medecin de l'esprit n'a enuie
Au Medecin du corps, qui no^o garde la vie.
La medecine ainsi de l'ame monstre bien
De porter amitié à son frere Chrestien.

Tu le dis & le fais, HVGVES, qui charitable
Aides aux indigetz d'une main secourable:
Soit en dōnant du tien, ou en recōmandāt
Aux princes ceux, qui vont ton secours
demandant.

Et pour ce debiteurs te sont plusieurs per-
sonnes,

Mais ma patrie plus: quād liberal tu dōnes
Ta faueur liberalle au ieune Medecin,
A qui donne faueur tout nostre Limosin.
Pousse donq iusqu'à fin, HVGVES, ton
entreprise,

En poussant ton Vālet iusque au bout où
il vise.

La fin courōne l'œuure, & le viste coureur,
S'il n'acheue son cours, n'emporte point
l'honneur.

AD FRANCISC. BRIGARD,
 MEDICINAE DOCTOREM PRAE-
 stantissimum, & Regium Medic.
 meritis. Epigramma.

HVGONIS vellem tibi commendare clientem,
 Ni commendatus iam foret ille satis.
 Si tamen est nullus tam grandis & altus aceruus,
 Quem non maiorem res quoque parua facit,
 Accedat cumulus mea fac ut gratia paruus,
 Charior ut tibi sit, qui tibi charus erat.
 Nam patriæ iuuenis consors mihi, sicut & artis
 Est tibi: si faueas huic, mihi & ipse faues.
 Quémq; illi tribues, tribues mihi fautor honorem:
 Patria pars homini si sua cuique sui est.

NICOLA O LEGRAND,
 MEDICO REGIO.

Magnus es ingenio, medica quoq; magnus in arte:
 Magnaque Parisus nunc tua fama volat.
 Magnus es: inde tuum non est sine numine nomen:
 Quod tibi cen fato Parca benigna dedit.
 Dignus eras & ob id magno quoque carmine dici:
 Sed mea non magnum parua camœna sonat.
 Quantu' acūque tamen vox est mea, clamat inesse
 Famā, artem, ingenium, nomina magna tibi.
 Ad tot nunc cumulū vis magna accedere magnū?
 Factua sit patriæ gratia magna mee.

F ij

Εἰς ἱάτρων λαμπρότατον, ΠΕΤΡΟΝ ΛΑ-
ΦΙΛΑΙΟΝ, Ιο. Αὐράτε ὀπίγραμμα.

Ἄξιός ἐστιν ἡ πόλις κόλπος ὁ ποικίλος ἔξονο μαοθεῖς,
Εἴτα χαί' εὐφημισμὸν ἐς εὐξείνον μετεκλήθη.
Αὐτὰρ ἐν ἀλλάδ' ἴδ' αὖ σὺ πάλαι κληθεῖς Ἀφιλᾶος,
Εὐφίλιος μοι ἔση χαί' ἀλήθειαν μετὰ κληθεῖς.
Ὡς πολλοὶς τε φίλων, πολλοῖς τε φιλούμενος
αὐτὸς
Εἶνεχα τῆς σοφίης τε, καὶ εἶνεχα τῆς ἀρετῆς ὅης
Παντοίης, παῖδ' αὖ γὰρ ἔχ' ἀρετῶν σοφὸς ἀνὴρ,
Ἰήτρος δὲ μάλιστα, φιλαίτρωπον μάλα πάντων
Τίω σφίην μελετῶν, σώζειν θνητῶν γένος ἀνδρῶν.
Ἦς σοφίης ἀρετῆς τε νέον ζηλήμονα τῶτον,
Ὡς ἐμὸν ὄν' ὁμόπατριν, ἐμὴ χάριν εἰ σὺ φιλήσῃς,
Οὐτ' ἀφίλος καὶ Ἀφιλᾶος εἰς ἐμῶν, ὅτ' ἐγὼ αὐτῶν.

SIMONI PIETRE, D. M.

PETRAEI tibi si Petri domus illa Galandī
Nota, vetus nota est si domus illa mihi:
Si mensa iuuenes vsi, sale si sumus vno:
Si tua Ronsardus, si mea fama meus:
Cuius ego ingenium, tu corporis omnia curas,
Et vitia, & morbos, quos labor ipse dedit:
Auratum simul & Ronsardum ambire putato,
Pro patria cuius me pius vrit amor.

Multos Thyrsiferos, paucos prouerbia Bacchos
 Esse ferunt, frustra nec reor, esse ferunt.
 Multi sunt claudi similes Chironis: in illis
 Chirones paucos sed tamen esse puto.
 Vnus & è paucis tu Gallicus esse videris
 Chiron: cui Chiron cedat & ipse vetus.
 Fortè roges quis sit Chiron, quis claudus & ille,
 Hærebat iuncto qui sibi semper equo:
 Esse domi claudos medicos, studiisque vacare
 Consultantum hominum qua licet vsq; decet.
 Rursus equo medici debent hæere volucris,
 Si qua lues lentam non dat acuta moram.
 Ille tamen claudus Chiron super astra volauit
 Arte sua: arte volas tu super astra tua.
 Quæ nunc grata suo lussit tibi Musa fauore,
 GRÆVALME, vt faucas, cui mea Musa fauet.

GERARDO DENYSOT, D.M.

Si mihi iam iuueni iuuenis tu cognitus olim,
 Inter maiores maior & hæsit amor:
 Nam tibi quæ colitur, colitur simul & mihi tecum
 Claussarum, quæ non maior in vrbe, domus:
 Et tua Græca mihi sunt lecta poemata sæpe:
 F iij

sæpe etiam mea sunt carmina lecta tibi:
Qui Dionysio cognomine sicut & arte
Nobilis es, Musis nam Deus ille fauet:
Fac igitur veteris des hoc mihi pignus amoris,
Consorti patriæ fautor ut esse velis.
Quem dederis patriæ, patrius tibi reddet honorem
Carminibus Vates qua licet usque suis.

LVD. DVRET. MEDIC.
REG. ET PROFESSORI.

Accipe non duro, Durete, hæc carmina vultu,
Si collega meus nuper, amicus adhuc.
Nec dubito quin sis, & sis sine futurus:
Si modo Dureti durior ære fides.
Si modo Dureti durare perennia par est
Singula quæque, libros, nomen, amicitiam.
Nāque tuum, Durete, nihil durabile non est:
Ars tuæque, ut durent corpora salua, facit.
Et salua saluo durant in corpore mentes:
Mentibus & saluis carmina mentis opus.
Artis & est præses simul huius & huius Apollo:
Quam tu iandudū es, quāque profectus ego.
Tu facis ut docti valeant vigeantque poëtæ:
Quod faciunt, Vates artis opisque tuæ est.
Carmina quæ facio, debentur cuncta medenti:
Arsque mea hæc omnis pendet ab arte tua.

Quod si nostra suos à te facundia nervos,
 Robur in assiduos sumit & usque modos:
 Quique tuus præsens, meus est & præsul Apollo:
 Eni scdmque dei cultor vtrique sumus:
 Quis dubitet quin sit fœdus commune poetis
 Et medicis, vnus cum sit vtrisque Deus?
 Quæ si ita vera putas socij da pignus amoris
 Hoc mihi, vt Auratū quisquis amabit, ames.
 Huic faueat tua mēs, mea cui mēs cūmque fauebit:
 Hunc, ego, quem cupio cūmque inuare, inues.
 Vt certè cupio, qui nostra Valestus ad te
 Hæc tulit imparibus carmina lusa modis.
 Qui tua nunc per me suffragia sedulus ambit:
 Musæque per quem nunc ambitiosa mea est.
 Nam licet ambitio res est aliena poetæ,
 Laus patriæ non est res aliena mihi.
 Ille mihi patriæ, studio tibi iunctus & arte:
 Ille fauore meo est dignus, & ille tuo.

IACOBO CHARPENTIER,
 D. M. ET REGIO PROFESSORI.

Si Carpentari mea non absentia quidquam
 Detrimenti affert pristinae amicitia,
 Qui soleo raro raros inuisere amicos,
 In quibus est constans, constat & esse, fides:
 Nam quid opus vano seseque, aliisque labore

Vexare, & stulto conficere officio?)
Mens quorum est præsens, præsens corporis ut sit:
Nam præsens menti est mens tua ubique mee.
Sic Deus ipse absens humana negocia curat:
Præsentemque tamen dicimus esse Deum.
Tu quoque si verè es præsens mihi, sicut & ipse
Sum tibi, fac præsens sis ut & ipse meis.
Atque huic præcipuè, patriū mea quæ tibi amicū
Carmina commendant de meliore nota.
Sic Carpenta tibi faueat: sic nomine verso
Sit Carmenta meis prospera carminibus.
Nam tibi quæ tenui, hæc eadem mihi nominemolli
Præsides Euandri mater amica sua.

IO. ROCHON, D. M.

Aspera cum tibi sint spinosi nomina ruchi,
Ars tamen est lenis, nomen & inde trahit.
ἡπιόν Græcis quæ dicitur: ἡπια verò
Lenia sunt: lenem ars & tua præstat opem.
Testis ego, & testis mea nupta, & nubilis olim
Filia, nunc docto nupta quoque ipsa viro.
Quos tua servauit grauibus solertia morbis:
Et seruaturam sæpius esse puto.
Si tibi sum iuuenis, iuuenistu cognitus ipse
Et mihi, pèrque suos credit uterque gradus:
Quæ mihi cura mei est, eadem mihi cura meorum:

*Quare commendo meque, meosque tibi.
 Non quia nunc morbo domus vllō læsa laborat,
 Gratia magna Deo, gratia magna tibi,
 Sed quia de patrio mea cura laborat amico:
 Quem commendatum comprecor esse tibi.*

HIERONYMO DE VARA-

DE, MEDICŌ REGIO.

*Si memor es, quis me tibi iunxerit vsus in aula,
 Tunc, Varadæ, tui cum laris hospes eram:
 Cum brevis vna duos Turricula Regia cepit,
 Te ceu Phylliridem, me velut Aeacidem:
 (Nam tu Regis eras Chiron fidiſſimus alter:
 Regi Pelides cantor ego alter eram)
 Paruaque turris erat tibi Peliacum velut antrum,
 A tanto medico vix habitanda domus:
 Horum si memor es, tua fac nunc gratia proſit
 Huic, tibi commendo quem tuus hospes ego,
 Nam patriæ ille mihi conſors: patriæque fauere
 Pro patria cæſus me monet Aeacides.*

NICOLAO PICARD,

MED. REG.

*Site, ſi bene mi Picardæ noui,
 Quam ſis certus amicus & fidelis:
 Et dignus videor tibi quem amicis
 Certis annumeres fidelibusque,
 Hanc da nunc operam mihi fidelem,
 Vt qua ſum patrios fide erga amicos,*

G

Hac sis in patrium meum tu amicum.

SYMEONI DE MALMEDY

D. M. ET P. R.

*Si tua, Malmedi, me Præsides & auspice primum
Vis est ingenij cognita & eloquij:
Si saltata tuo mea sunt mihi carmina focco,
Si duce te cæcus vidit, ut ante, senex:
Ille senex Plutus, qui, te miserante, recepto
Lumine tam gratus, tam memor estque tui:
Ut tu ille ante Malusmedius, medicus bonus inde
Nunc sis, quod puero nominis omen erat:
A sene nec sola est hæc reddita gratia Pluto:
Sed quibus ipse præst, addit & addet opes.
Quod manifesta probat tua rã citò nuper in Aula
Muneribus geminis Principis aucta domus.
Cuius dux fueras senis orbi luminis, illum
Ut tua rettulerit non sine luce manus.
Inque locum Rami quòd sis suffectus: at ille
Iam misero Pluto sit miserabilior.
Quòd vetus illa nouo si sit reddenda i theatro
Fabula, Ramus sit Plutus Aristophanis.
Excepto sua quòd sint reddita lumina Pluto:
At Ramus semper luminis orbis erit.
Nam semel ille Deum qui iura, fidemque fefellit,
Non est ut medicos possit habere Deos.
Non si ducatur Medicorum in Præsidis ædam:]*

Non si captârit somnia mille Dei.
 Sed satis ad lepidum sit nostra iocata sodalem
 Ad medicum medici functa camæna vice.
 Nam tua corporibus velut ars mala discutit agris,
 Sic mentes aëras nostra camæna leuat.
 Nunc igitur præsens mea sit medicina dolenti:
 Quam tua, tam felix ars mea sitque tibi.
 Sic quem commendo, pro parte fac ipse virili,
 Qua potes, & quanta sedulitate iuues.
 Sic precor occurrat meus iste Valetius omen,
 Quod tua membra breui sint valitura Vale.
 GVLIELMO CAPEL, D. M.
 Si dictamna fere monstrârunt Cretica capræ,
 Pulsa quibus tergo fixa sagitta cadit:
 Nutriuisse Iouem si fertur Cressa capella,
 Officijque sui præmia sidus habet:
 Totâque de cœlo pendet Medicina soloque,
 Sideribus cœli, graminibusque soli:
 Atque Vtrique præst elemento hirsuta capella,
 Loricam cuius de cute alumnus habet:
 Aptâ Capellano dederat sua Parca capellæ
 Nomina, qui Medicus Regius antè fuit.
 Aptâ Capella tibi nascenti Parca capelle
 Nomina, quæ medicam repperit, ipsa dedit.
 Quæ mea si quæras tecum mea Musa iocata
 Cur sit in insolitos exspatiata modos,
 Vt tibi commendem, quem commédare necesse est,
 G ij

Quò ratio patriæ sit tibi habenda meæ.
Quem pro parte iuues, mi Chære Capella, virili,
Ut teneat meritum patria nostra locum.

YVONI MARCHANT,
D. M.

Mercurius merces, sed & ipsas repperit artes,
Quas profitemens nomen Mercurialis habet.
Mercurius tibi dat nomen, dat & ille poëtis:
Testis & his Flaccus Mercurialis erit.
Qui se Mercurium multis seruasse periclis
Grato testatur carmine sæpè suo.
Et tuus ille Deus multos seruauit Apollo:
Seruat Apollinea nunc Vir & arte frequēs.
Quinetiam inter se sua mutua dona feruntur,
Hic illi Virgam, huic ille dedisse lyram.
Virgam, quam gemino circum serpente virentem
Gestat Apollineus Vester & ille Deus.
Quòd si Mercurio tanta & concordia Phæbo:
Et te Phæbus amat, Mercuriusque simul:
(Alter enim nomen tibi contulit, alter & artem)
Cōmune & mecum est numen utrūque tibi:
Fac sis apud medicum mea te non vana poëtæ
Gratia, Mercator, pro popolare meo.
Sic tibi Mercurius, sic adsit amicus Apollo:
Est mecum quod idem numen utrūque tibi.

OLIVARIO DE VIOLAINES D. M.

Ni foret ille mihi patrio coniunctus amore
 Quem mea commendat vox, Violane, tibi:
 Non tibi, non alijs mea Musa molesta fuisset:
 Nec gravis officij tale subisset onus.
 Sed quid agat, quamvis sit inambitiosa, pudensque ul
 Musa, nec in lentas officiosa preces?
 Si patrius nunc cogit amor, si cogit honestus
 Affectus patriæ quémque favere suæ?
 Ignoscas igitur, civis pro ciue laborans
 Supplice quòd supplex sit mea Musa tibi.

AD ANTO. VALETIVM

MEDICVM, DE IO. AVRATO,

Poëta Regio Græc. & Lat.

Aredij le Roy

HENDECASYLLABI.

SI tantùm celebris tulere famæ
 Vates, quos veterum educavit ætas,
 Qui præter Veneres, Cupidinésque,
 Præter nequitias salaciores,
 Mordacésque iocos, ineptiásque
 Certanteis Sybariticis libellis,
 Præter delicias, salésque foedos,
 Mixtos illepida procacitate,
 Quos non vnius assus esse duco
 (Compti sint licet expolitiore
 Versu, molliculo, venustuloque)

G iij

Nullam carminibus pudicitatem,
Nullam munditiam suis libellis,
Et nullam sonuere castitatem:
Non certe leuius p̄i, bonique,
Quos nunc Gallica Musa dat, Poëta,
Quorum carminibus nihil profani,
Quod mentis hominum inquinare possit,
Et nil præter inest sonos pudicos,
Primum promeruere palmæ honorem.
Qualis est patriæ meæ, suæque
Lumen egregium, decusque summum
A V R A T V S, Latio s̄clo & Pelasgo
Notus arbiter vtriusque linguae:
Quo non candidior, benigniorque
Aut est, aut fuit, aut erit Poëta,
Præstans omnibus, omnibus poëtis,
Natura, ingenio, eruditione,
Doctrina, studio, nitore, vena,
Puritate, pudore, castitate,
Fama, nomine, mente, honore, tantò
Quantò aurum reliquis præit metallis.
Cuius carmina dulciora melle
Hyblæo, & Sicule liquore cannae,
Fundunt ambrosiæque, nectarisque
Succos perpetuo fluente rino:
Cuius carmina sunt pudica, casta,
Et nullo sale pruriente tincta:

Iocos, delicias libidinosas,
 Lusus, nequitias, facetiâsque
 Peius vipereo cruore virans,
 Et peius cane, peius angue senu
 Modos defugiens periculosos.
 Nam castum esse decet pium poetam
 Ipsum, & versiculos magis necesse est
 Castos esse: licet neget Catullus,
 Tantò impurior omnibus poeta,
 Quanto castior est, pudiciôrque
 AVRATVS meus omnibus poetis,
 Nempe hoc diceret & Catullus ipse.
 Hoc te credo satis (Valete) nosse:
 Et nôrunt alij boni, piique:
 Notum gentibus est & his, & illis.
 Nôrunt atque canunt, canentque semper
 RONARDVSQVE BAIFIVSQUE, Galli
 Fontes eloquij, decusque clarum.
 IDEM ADEVNDEM.

Ingens es medica futurus arte,
 Nec me spes mea, mēsq̃ue certa fallit:
 Magnus es medica futurus arte,
 Qui tam grāde malū, malūque duplex,
 Quod & valde tibi fuit molestum,
 Quod & valde mihi periculosum,
 Quod Chironia nec manus, nec ipse
 Phœbus, aut soboles sacrata Phœbi,

Quod nec Pergamei, senisque Coi
Cura, nec Podalirij leuaret:
Quod cuncti fugiunt, magisque cunctis
Quam tigris catulis citata raptis,
Aut solis medio perusta sole,
Aut quam scorpius impius timetur:
Tu non Pœonijs leuaret herbas,
Sed solo eloquio, nitore solo,
Et sola probitate, mente sola,
Doctrina, ingenio, modestiâque.
Paupertatis enim graueis dolores,
Liniorsque mali malos dolores
Profligare tibi fuit necesse,
Et feliciter vtriusque morbi
Vicisti rabiem nitore solo
Mentis, Religionis, eloquiique.

